

*Doc. 11 (Scriptum est eidem
iustitiario etc. Fidelitati tue sub
pena viginti quinque unciarum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 11 (Scriptum est eidem
iustitiario etc. Fidelitati tue sub
pena viginti quinque unciarum...)*

1277-07-07

Scriptum est eidem iustitiario etc.

Fidelitati tue sub pena viginti quinque unciarum anni firmater et expresse precipimus, quatenus receptis presentibus singulas terras et loca iurisdictionis tue, vicina loco Lacuspensulis, in certa quantitate fodri, panis videlicet vini, ordeï, gallinarum, porcorum, castratorum et vaccarum, considerata qualitate et distantia locorum, non habendo respectum ad potentiam vel amorem aut ad vim alicuius taxare debeas, et huiusmodi fodrum panis, vini, ordeï et singularum aliarum rerum necessariarum usui hominum et equorum, per homines et animalia terrarum et locorum ipsorum apud Lacumpensulem pro gente tota curiam nostram sequente in quantitate sufficienti et necessaria, continue et fine defectu quolibet deferri mandes et facias ad vendendum, impositurus baiulis, iudicibus et magistris iunatis et universitatibus terrarum et locorum ipsorum penam decem unciarum auri, ut quantitatem totam fodri, quam in singulis locis ipsis taxaveris die quolibet ad predictum locum Lacuspensulis sine defectu quolibet mittere studeant ad vendendum, presentandum marescallo nostro vel statuto loco sui. Ita quod de re presentatione ipsius fodri ab eodem recipiant vel habeant apodixam vel litteras responsales, et si forte aliquæ de universitatibus ipsis fodrum huiusmodi secundum taxationem tuam mittere distulerint, predictam penam vice qualibet quoties in penam ipsum inciderint statim exigas ab eisdem et ad cameram nostram mittas, nichilominus compellas easdem de fodro ipso continue transmittendo. Universitates vero Melfie et Venusii, eo quod ibi stipendiarii nostri morantur escludi volumus ab ipso fodro mittendo usque ad nostre beneplacitum voluntatis

sciturus pro certo quod si in mittendo fodro ipso negligens vel remissus extiteris, ita quod gens curiam nostram frequens rerum ipsarum patiaturs defectum, penam predictam vice qualibet a te mandabimus extorqueri. Significaturus magistris rationalibus etc. Singulas terras et loca taxanda per te et quantitatem fodri, quam in singulis terris et locis ipsis taxaveris et in quibus terminis fodrum ipsum mittere debebunt particulariter et distincte.

Datum apud Lacumpensilem XII iulie V ind. (1277).